



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 3. An debeat fieri voce humana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Secretam confessionem non esse de necessitate penitentiae. Assertio secunda.

Alens. D. Thom. Maior. Rich. Palud. Soto. Adrian. Ruard. Medin. Pet. Sot. Vega. Castro. Cates. Cano.

Conci. Triad.

Ratio assertio.

Confirmatur.

Causa in quibus confessio non fit secreta. Quando fit per interpretem.

In articulo mortis. Cum fit sacerdoti ignoranti.

Secundo dicendum est, hunc modum secretae confessionis non esse de necessitate huius sacramenti. Ita docent frequentius Scholastici, Alens 4. p. q. 18. memb. 4. art. vlt. s. vlt. D. Tho. quodlib. 1. art. 10. & in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. q. 3. ad 2. & ibi Maior q. 1. Richard. art. 3. q. 8. Palud. q. 2. art. 1. Soto d. 18. q. 2. art. 6. Adrian. in 4. q. 1. de Confessione, Ruardus art. 5. Med. Cod. de Confessione q. De modo secretae confitendi. Petrus Soto lect. 2. de Confessione. Vega lib. 13. in Tridentinum c. 28. Castro lib. contra hereses verb. Confessio & Caietan. tom. 1. Opusculorum, opufe. vlt. respons. 5. ubi in hunc modum declarat quod Ioan. 20. dixerat, Christum non instituisse auricularem confessionem, scilicet quoad hunc modum. Quam interpretationem approbat Cano Relect. de Pœnit. p. 5. Et nunc cenfeo hanc doctrinam certam ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 5. ubi docet, Christum non prohibuisse confessionem publicam, si penitens voluntarie illam facere velit: ergo neq; in institutione posuit Christus Dominus modum secretae confessionis tanquam necessarium, alias consequenter prohibuisset oppositum modum.

Ratio vero est, quia, licet confessio fiat sine secreto, potest esse vera accusatio ex dolore cordis profecta, & per illam dari sacerdoti sufficiens noticia, vt possit de peccatis iudicare: ergo, etiam si alij intersint, saluatur institutio: sed ex nullo alio capite, aut loco colligi potest illa necessitas, aut contraria prohibitio: ergo. Et confirmatur, quia non est intrinsece malum publice dicere propria peccata, quia per se hoc non est iniuriosum alteri: neque est contra charitatem propriam, quia, licet afferat aliquod dânum infamiae, illud potest compensari maiori fructu humilitatis, confusiois propriae, & satisfactiois: potest ergo talis actio esse honesta, si prudenter fiat: ergo nulla est ratio cur talis confessionis modus omnino sit exclusus ab hoc sacramento. Maxime, quia sunt nonnulli casus, in quibus moraliter necessarium est ita confiteri, vt alius præter sacerdotem peccata audiat. Vnus vulgaris est, quando confessio fit per interpretem: nam, quidquid sit, an homo reneatur sic confiteri quando aliter non potest, de quo infra; tamen certum est posse, & saltem confessio sacramentalem esse, & tamen in illa non seruatur omnino ille modus secretae confessionis. Alius casus est, si in articulo seu periculo mortis penitens non possit, nisi alta voce confiteri, ita vt alij audiant: nam sine dubio potest id facere. Item, quando confessor non habet sufficientem scientiam, potest penitens ei facultatem concedere, vt rem conferat cum alio doctiore, etiam nominata persona ipsius penitentis, si ipse voluerit, & oportuerit: hoc autem æquiualeat publicæ confessioni: quæ pari ratione fieri possit coram illis duabus personis, quarum altera iurisdictionem, altera scientiam habere.

Sitne secreta confessio de necessitate præcepti.

Conci. Triad.

Cap. Omnis viri que. Quid respicitu sacerdotis.

Nauarr. Sacerdos.

Sed querendum superest, licet hic modus confitendi non sit de necessitate sacramenti, an sit de necessitate præcepti, nam Concilium Tridentinum dicit, modum secretae confitendi non esse à diuino præcepto alienum, neque esse inuentum hominum. In e. etiam Omnis viri que sexus, præcipitur vt soli sacerdoti, & c. Respondeo primum, ex parte sacerdotis esse hoc in præcepto diuino, tum quantum ad secreti obseruationem iuxta voluntatem penitentis, vt infra dicemus, tum etiam quoad hoc, vt non possit cogere penitentem, vt aliter confiteatur, vt iam diximus. Ex quo bene inferi Nauarrus in cap. Sacerdos, de Pœnitent. dist. 6. nu. 109 grauius peccare sa-

cerdotem, qui plures penitentes simul audit in confessione, eo quod pueri sint. Quod est verum, quando illi sunt doli capaces, ita vt sacramentaliter absolui merito possint: nam alias si non audiuntur ad conficiendum sacramentum, sed ad quandam instructionem eorum, nulla in eo facta committitur culpa.

At vero ex parte penitentis nullum in hac re inuenio præceptum diuinum: quia ex institutione nõ colligitur, vt ostendi; & illa seclusa, non est vnde colligatur. Quod autem Tridentinum ait, non esse alienum, & c. intelligit non esse contrarium, nec repugnare diuino præcepto: imo esse illi consentaneum, quia supposita institutione, ille modus per se loquendo, conuenientior est, & aptior ad tollendas omnes difficultates, & scandala. Et propterea etiam dicitur, non esse inuentum humanum, quia aliquo modo ducit originem ab institutione diuina, Neque etiam inuenio Ecclesiasticum præceptum de hac re scriptum: nam quod dicitur in capite, Omnis viri que sexus, non est, vt ille modus prescribatur, sed vt alius non exigatur. Nihilominus tamen propter Ecclesiæ consuetudinem non careret culpa qui sine vlla occasione, vel causa rationabili vellet alio modo sacramentaliter confiteri: at si id fiat ob necessitatem, nulla erit culpa. Ita Richard. supra, & Syluest. Confessio. 1. q. 20. & alij.

SECTIO III.

Virum sit de necessitate confessionis, vt fiat propria voce humana.

Constat in primis confessionem hanc debere fieri aliquo signo sensibili, tum quia non possunt homines inter se suos conceptus manifestare, nisi per sensibilia signa: tum etiam, quia confessio est veluti prima pars essentialis materiae huius sacramenti, quam oportet esse per se sensibilem, quia, vt supra dixi, ipsamet contritio, vt fit pars sacramenti, debet per confessionem fieri aliquo modo sensibilis. Constat deinde signum aptissimum ad confessionem faciendam, esse humanam vocem, tum quia est inter homines maxime vitatum & notum, tum etiam quia distinctius & certius significat, quam cætera. Difficultas vero est, an sit etiam necessarium, vel necessitate sacramenti, vel saltem præcepti. Et ratio dubitanti esse potest, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenij dicitur, materiam huius sacramenti esse oris confessionem. Et vergeo argumento à simili. Nam de forma sacramenti huius dicimus necessarium esse, vt ore proferatur, quia illud Concilium dixit esse verba sacerdotis: ergo idem dicendum est de confessione: cum de illa pariter loquatur. Congruentia etiam adiungi potest, quia materia sacramenti debet esse certa, & expresse significare.

Prima assertio, confessionem non debere necessario verbis fieri.

Nihilominus dicendum est primo, non esse de absoluta necessitate huius sacramenti, vt confessio propriis verbis fiat. Ita D. Tho. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. q. 3. ad 2. & quodlib. 1. ar. 10 & consentiunt cæteri Theologi, & Doctores infra citandi. Et videntur res certa, primo ex consuetudine Ecclesiæ: nam, cum penitens loqui non potest, si quouis alio modo significet sacerdoti conscientiam suam, censetur sufficere, vt absoluiendus sit. Vnde non solum penitens potest ita confiteri, sed etiam tenetur in articulo necessitatis, per se loquendo, quia illa est materia indubitata, & facile, ac sine inconuenienti exhiberi potest. Secundo argumentor ab institutione, quia ex verbis eius solum habemus, necessarium esse, vt penitens aperiat iudici causam suam: sed hinc inferri non

Congruentia

Satisfactio
non dubi-
tandi.

Auguſt.

D. Tho.

Alenſ.
Palud.
Richard.
Mair.
Adrian.
Meln.
Soto
Ladim.
Pet. Soc.
4. ana.

Difficultas
in regulatio

Socruſ.
in 4. d. 7. q.
vnic. ad finem
argumentorum

non poteſt, neceſſarium eſſe, vt hæc noſticia detur per proprium ſermonem humanum: neq; Eccleſia hoc ita interpretata eſt: ergo non eſt limitanda, & quali coarctanda ſacramenti amplitudo. Tertio eſt optima congruentia institutionis, quia hoc ſacramentum poſitum eſt, vt remedium maxime neceſſarium ad ſalutem peccatorum: ergo non debuit limitari eſſentia eius ad illud ſignum, quod ſæpiſſime in articulo neceſſitatis deſt: huiusmodi autem eſt vox humana, qua, non ſolum muti, ſed etiam ægrotantes ſæpe vt non poſſunt: ergo.

Quando ergo Concilium Florentinum appellauit oris confeſſionem, vſum eſt vulgari nomine, ſumpto ab eo, quod frequentius accidit. Sicut etiam vulgo appellatur operis ſatisfactio, non quia ſolo opere fiat, ſed quia frequentius ita fit. Et ideo Concilium Tridentinum ad tollendam omnem ambiguitatem omiſit particulam, oris, & ſolum dixit confeſſionem eſſe materiam. Ac propterea non eſt ſimilis ratio de forma: nam ſi inſpiciamus institutionem, non eſt ita declarata in materia, ſicut in forma, nec etiam ita infallibiliter obſeruata ab Eccleſia. Neque eſt etiam ſimilis ratio, tum quia, moraliter loquendo, nunquam, aut vix contingit neceſſitas abſoluendi ſine verbo; conſiderandi autem frequens eſt: tum etiã quia materia ſacramenti non ſemper continet expreſſam ſignificationem, ſed hæc pertinet & cõſummat formam: & ideo magis neceſſarium eſt verbum ex parte formæ, quam ex parte materiæ. Per quod reſponſum etiam eſt ad congruentiam in contrarium.

An ex præcepto teneatur pœnitens propria voce conſiteri.

Atque hæc quidem certa videntur, quantum ſpectat ad neceſſitatem ſacramenti. Difficultas vero ſuper eſt, an ſaltem ſit de neceſſitate præcepti, vt confeſſio fiat propria voce & ſermone ipſius pœnitentis. Nam D. Auguſt. de Ver. & falſ. pœnit. cap. 10. & habetur in c. Quem pœnitent. de pœnitentia d. 1. ſignificat eſſe de hoc diuinum præceptum. D. Tho. autem quod lib. 1. art. 10. ſaltem eſſe Eccleſiaſticum. Et reliqui Theologi communiter docere videntur non eſſe licitum vt aliis ſignis, vt ſcripto, nutibus, & c. quãdiu pœnitens per ſeipſum loqui poteſt: quamuis non declarent, vnde naſcatur talis obligatio, vt patet ex Alenſe 4. part. q. 18. memb. 4. §. vlt. Palud. d. 17. q. 2. n. 7. Richard. art. 2. q. 4. ad 4. Mai. q. 1. Adrian. q. 1. de Confeſſione, Med. Cod. de Confeſ. q. de Modo ſecrete conſiderandi. Soto d. 18. q. 2. art. 6. Ledſin. 2. p. 4. q. 3. art. 3. dnb. 5. & 6. Petr. Soc. lect. 2. de Confeſ. Cano diſt. Relect. p. 5.

Dicendum vero in primis eſt, in hoc non eſſe poſitum aliquod ſpeciale præceptum diuinum ab ipſa institutione diſtinctum: quia neque ex ſcriptura diuina, neque ex traditione cõſtat de huiusmodi præcepto. Deinde cenſeo ex ſola institutione non ſatis colligi huiusmodi præceptum. Eſt quidem maxime conſentaneum institutioni vt ita fiat, tum quia hoc modo facilius & clarius manifeſtantur, quod aliis ſignis, præſertim nutibus, difficilius ſit: tum etiam, quia ipſa confeſſio proprio ore facta, magis eſt ſatisfactoria, vt Auguſtinus loco citato ſentit. Nihilominus tamen ex institutione ſola, ac præciſe ſumpta non ſatis probatur, hunc modum confeſſionis cadere ſub obligationem præcepti, quia per alia ſigna poteſt dari ſufficiens noſticia confeſſori, quod ſolum poſtulatur ex vi institutionis, vt patet ex ſupra dictis de modo, quo præceptum confeſſionis colligitur ex illis verbis, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & c.

Præterea non inuenio de hæc ſcriptum Eccleſiaſticum præceptum, aut decretum aliquod. Vnde Socruſ. in 4. diſtinct. 17. q. vnic. ad finem ſolutionum argumentorum, ſentit non eſſe illicitum conſiteri

F. Suarez. tom. 4.

per ſcriptum in præſentia ſacerdotis, ſed tantum in abſentia. Et Soto idem ſere ſentit, ſaltem quando ſcripturæ coniunguntur alij nutus, vt ſtatim dicemus. Addo tamen, propter Eccleſiæ conſuetudinem, non eſſe abſolute licitum vt ſcriptura, vel aliis ſignis ad confeſſionem, prætermiſſa humana voce: eſt enim hæc mutatio grauis, & de re, quæ per ſe ſpectat ad conuenientem modum perficiendi talis ſacramentum: & ideo non ſit ſine culpa, & graui ex ſuo genere. Poſſet autem talis culpa fieri venialis ex leuitate materiæ, vt ſi non in tota confeſſione, ſed in vno vel alio peccato id feret. Aliquando etiam nullum erit peccatum, ſi ex rationabili cauſa talis mutatio fiat. Erit autem rationabilis cauſa, non ſolum abſoluta impotentia vtendi propria voce, quod indubitatum eſt, ſed etiam magna difficultas, aut nimia verecundia, vt prudenter Cano aduertit: quia, cum hæc obligatio potiſſime videatur conſuetudine introducta, non videtur cum maiori rigore accepta: neq; etiam expediebat, aut erat aliqua ſufficiens ratio, ob quam cum maiori rigore introduceretur.

Atque hinc inferitur, poſſe aliquando confeſſionem fieri non tantum nutibus, ſed etiam ſcripto. Patet, quia vtrumque horum poteſt eſſe ſufficiens ſignum humana accuſationis. Et de nutibus quidem nullus dubitat. De ſcriptura vero dubitare videtur Scotus ſupra, eo quod ſcriptura de ſe ſit ſignum publicum. Sed neque ipſe illa ratione conuincitur, neque vllam nobis ingerit difficultatem, tum quia non eſt contra rationem confeſſionis vt publice fiat, tum etiam, quia licet ex ſe ſit publicum, poteſt occultari: quod ſere idem eſt in verbo. Addit vero Soto, ſcripturam non ſufficere, niſi cum alij nutibus adiunguntur: quia neceſſe eſt, vt quando ſcriptura legitur à ſacerdote, pœnitens ſaltem nutibus ſignificet ita eſſe. Dico tamẽ, ſi ſcriptura detur ſacerdoti præſenti, moraliter neceſſarium non eſſe aliud ſpeciale ſignum, ſed ſufficere, vt peccator, qui ſcripturam illam offert ſacerdoti; eam offerat loco accuſationis ſuæ, ſigna contritionis exhibendo, & petendo ab eo pœnitentiam, & abſolutionem, eamq; expectando humiliter dum ſacerdos legit peccata, ac deniq; ſatisfactionem acceptando, quam ſacerdos imponit: nam per hæc omnia ſatis ſignificat illa eſſe peccata ſua, de quibus ſe accuſat. At vero ſi ſcriptura offeratur ſacerdoti abſenti, tunc ſæpe fieri non poterit, vt pœnitens aliud ſignum exhibeat: & ideo in eo caſu aliter ſentendum eſt, vt ſectioe ſequentẽ commodius explicabo.

SECTIO IV.

Vtrum de neceſſitate confeſſionis ſit, vt pœnitens ſacerdoti præſenti immediate & per ſeipſum reuelet peccata ſua.

Vo in hoc titulo continentur, vnum de præſentia inter pœnitentem & confeſſorem: aliud eſt de immediata locutione pœnitentis per ſeipſum. Et quia hoc punctum poſteriorius breuius eſt, & ſere ſine controuerſia, ideo quod ad illud ſpectat: dicendum eſt, non eſſe de eſſentia confeſſionis ſacramentalis, vt pœnitens per ſe & immediate loquatur ſacerdoti. Probatur, quia poteſt confeſſio fieri per interpretem, iuxta ſententiam omnium, vſu Eccleſiæ confirmatam: tunc autem pœnitens immediate loquitur, non ſacerdoti, ſed interpreti, & per hunc cum confeſſore loquitur: & idem interdum poteſt facere per nuncium, & per teſtes, vt iam dicam. Ratio ſumenſa eſt ex ſectioe præcedentẽ: nam confeſſio ex vi ſuæ institutionis nõ habet eſſentialiter ſignum ſenſibile determinatum, ſed quacumq; ratio reus declaret iudici conſcientiam ſuam, id ſatis eſt: ergo, cum hoc faciat per interpretem: id ſatis erit, maximum

argumento
rum.

71
Confeſſio a
liqua poteſt
fieri ſcripto,
vel nutibus,
Scotus.

Soto im-
probat.

Concluſio

Probatur.

Ratio con-
cluſionis.

Bb 2

meſi

